

dum causæ principalis qualitatem, meri imperii esse rectè dicuntur, Dd. in l. 3. ff. h. tit. l. 1. ff. qui non possunt ad libert. pervenire. Wesenbec. consil. 43. num. 77. dissentit Bart. ad d. l. 3. num. 8. & Jason ibid. num. 24. Tum ad criminis probationem etiam eorum, quæ fit per torturam, Bart. ad l. cum servus, nu. 6. ff. de condict. causa dat. & ad l. 55. num. 2. ff. de furt. Mynsing. observat. 16. num. 22. decad. 2. Tum ad ipsam criminis judicationem & correctionem hominis facinorosi, l. 1. in princip. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict. d. l. 3. ff. h. tit. Donell. 17. comment. cap. 8. dissend. Obrecht. d. disputat. thesi 212. &c.

PRACTICORVM OPINIO.

Merum imperium, ut antè dictum, propriè in imperando consistit: reliqua verò per consequentiam & per interpretationem veniunt. Quo casu intermedium ad id refertur, quod est potentius extremum, ut Forsterus indicat in tract. de success. ab intest. Propriissimè igitur & primariò merum imperium in facinorosos exercetur, nimirum quatenus puniuntur. Hic si quærat de incarceratione & de tortura: per consequentiam illa venire dixerim, quatenus nimirum aliàs elusorium redderetur merum imperium & summa hæc potestas. Propterea si jam quærat, quorsum incarceratio sit propriè sit referenda, distinguendum erit, ut videri possit, an sit referenda ad jurisdictionem, ad mixtum & merum imperium. Ad illam quatenus jurisdictio aliquid simile mixti imperii implicat: Et quatenus alias illusoria illa redderetur arg. l. 2. h. tit. Ad merum imperium per consequentiam prout jam vidimus. Verùm enim verò quandoquidem incarceration per se considerata præ se fert aliquid imperii, dum ad mixtum imperium propriè & de sua natura referri videtur. Nam & in dubio illud inspicere debemus, quod est potentius, prout paulò antè dictum. Nam & aliàs in simili potentior causa probabilis præsumitur edere effectum